A: C. TARVSIO.

MASSÆ LUBREN. IVRISDICTIONIS

PRO

Reverendissimo Episcopo Massæ Lubren.

CONTRA

Reverendissimum Archiepiscopum Surrentinum.

1692.

I· M· I·

REPELLENDUM eſſe à prætenſis Dominum Archiepiſcopum Surrentinum, contra Dominũ Epiſcopum Maſſæ Lubren., illius ſuffraganeum, in Eccleſia Abbatiali S.Petri ad Caprollam, ejuſque Grancia S.Jacobi Apoſtoli, tàm in petitorio, quàm in poſſeſſorio; conſtat manifeſtè. In petitorio quidem; quia non habet titulum; In poſſeſſorio verò; quia nullam habuit, vel habet poſſeſſionem,& caret omni titulo ad eam cohoneſtandam;nam ſi illum habuiſſet,produxiſſet,& cognoſcitur ſuper eo laborare in extremis; quia in principio litis aſſerebat,Iuriſdictionem prætenſam ad ſe pertinere,tanquam ſibi eam præſervaſſent ſui Prædeceſſores, quando diſmembrata Diœceſi Surrentina, ex ea fuerunt erectè tres Eccleſiæ Suffraganeæ,nempè Maſſen., Vicana, & Caſtrimaris; Et videns evidentiſſimè, quàm inconcludentèr prætendat, recurſum habuit ad aliud figmentum, quod Maritima Caprollæ ſit de Iuriſdictione Surrentina, tanquam adjacens ad ſcopulos dictos li Galli, quæ, quàm aliena ſint à veritate, evidentiſſimè probatur.

Primò, quia territorium Maſſæ Lubren. non ſolùm ſe extendit per totum tenimentum,& maritimam prædictæ Abbatiæ de Caprolla, ſed ulteriùs uſque ad Cryptas Baccarum, vulgò dictas le Grotte Baccare;hoc modo videlicèt. A maritima Caprollæ,ad ſcopulum dictum l'Iſchia,à prædicto ſcopulo ad alterum ſcopulum, dictum la Vetara; & proſequendo mare, ſe protrahit uſque ad ſcopulos delli Galli,& demum ad Terram firmam,uſque ad Rivum de Revicalo,& ex hoc uſque ad prædictas Cryptas Baccarum, ubi adeſt lapis magnus,cum ſigno Crucis inſculpto, dividente Territorium Civitatis Maſſæ,à Territorio Civitatis Surrenti,ut eſt videre *ex publico inſtrumento diviſionis, rogato manu Notarii Ioannis Coppola de Civitate Caſtrimaris die* 13.*menſis Octobris* 1470., manu, & Authoritate Regia roborato; quæ diſtantia per mare importat circa ſeptem milliaria, & per terram ultra tria, à Caprolla ad confinia Maſſæ, & Surrenti. Iuxta quæ confinia Civitatis; neceſſariò eſt menſurandum territo-

rium, & Iurisdictio Diœcesis; quibus consonant testes jurati Nobiles, & dignificati usque ad num. 30. deponentes de situatione Diœcesis Lubren; & alii 29. declarantes quædam specialia, ad cavendas æquivocationes, quibus standum est; *Rot. dec. 70. nu. 14. p. 13. recent.*; Eò fortiùs, quod Episcopus Massen suam Iurisdictionem habet tantummodò in villis, quæ ipsam Civitatem componunt, cum non habeat corpus Civitatis distinctum, nec alia oppida in sua Iurisdictione, quæ rigorosè possent componere Diœcesim, & absurdum esset dicere, Territorium esse Civitatis Massen Iurisdictionem verò Surrentinæ; quæ confinia semper, & inconcusè usque ad præsens fuerunt servata, & servantur, & recensentur etiam à *Patre Persico Iesuita in historia Civitatis Massæ Lubren. cap. 9. fol. 42. in principio cujus capitis fol. 37.* ità loquitur: *La Città di Massa Lubrense è Peninsola circondata dal mare da tre parti, cioè da Tramontana, Ponente, e Mezzo giorno; solo da Levante è congionta con il territorio di Sorrento. Et Capac. in histor. Neap. cap. 13.* ità affatur. *Vndique Mari alluitur Massa, eminentiori quodam loco, & natura munitissimo. Et idem Pater Persicus in Appendice*, recensendo Ecclesias Massæ Lubren. earumq; inscriptiones *fol. 99.* inter eas, enumerat Ecclesiam Sancti Petri ad Caprollam; & *fol. 45. in fine cap. 9.* Inter turres maritimas Lubren, aggregat pro decima Turri, eam de Caprolla.

Hinc est, quod in provisione, quam faciunt quolibet biennio Abbates Casinenses de dicta Abbatia in titulum, quem ante suppressionem, providebant per veram apprehensionem possessionis, illam semper appellant esse Civitatis Massæ, *ut est videre ex fide extracta à Registro Comitiorum Congregationis Casinensis per Reverendum Patrem D. Carolum à Perusio Secretarium Monasterii Montis Casini sub die 9. Aprilis* 1691. jam exhibita. Et ex eadem ratione, justificantur Brevia jam producta, expedita à Sancta Sede Apostolica, denominantia dictam Abbatiam Massæ Lubren, & dirigentia commissiones, si in evidentem, quandoque Domino Episcopo, & Dignitati, seù Canonico Massæ Lubren, & quandoque Dignitati, & Canonico ejusdem Diœcesis; Inter quę, Breve Generale expeditum per *Fœlic. Record. Clementem Papam VII. sub quarto idus Novembris* 1530. Tum in alio in data *Pridiè idus Iunii* 1638. demandata similis concessio favore Joannis Baptistę Pastinæ, & *per Fœl. Record. Innocentium Papam X.*

sub

sub die 15.*Febrarii* 1650.; Et non solùm fuit sequuta executio prędictorum Brevium; verum etiam,& vigore ipsorum renovatio obligationis emphyteutarum; prout *sub die* 4.*Maii* 1671., eam renovavit D.Joseph Cacacius penès acta Episcopalis Curię Massę Lubren,virtute Apostolici Brevis *Fel. Record. Vurbani Papa VIII.,expediti sub die* 8.*Kalendas Februarii* 1641.*prout ex libro obligationum ejusdemCuria fol.*38.,de qua producitur fides,prout etiam fides Epitaphii, in marmore insculpti de hac obligatione,in Casali S.Agatæ existentis, hujusmodi sub tenore.

Die 9.*mensis Maii* 1642. *Massa Lubren, Visis actis per subscriptos admodum Illustres, & admodum RR.DD.Delegatos Apostolicos, stante Inspectione oculata, super faciem loci, territorii in actis deducti fuit provisum, quod apponatur Memoria lapidea in platea S.Agata inter Vlmum, & Domum Prosperi Perella,cum Inscriptione, prout inferiùs annotabitur. Hoc suum,&c.*

Horatius Maldacea Vic.Gen.& Deleg.Apost.

Ioannes Baptista Cangianus Prim.Deleg.Apostol.

Pradium hoc modiorum viginti unius,& passuum triginta octo, Abbatia S.Petri à Caprolla,in emphyteusim concessit Reverendus Abbas Felix Petrocchinus, ad annuum Canonem ducatorum centum D.Iosepho Cacacio, suisque hęredibus, & successoribus in perpetuum, vigore Instrumenti Notarii Ioannis Iacobi Anelli Schifani sub die 23. *Decembris* 1641. *& Brevis Apostolici sub die* 8.*Kalend.Februarii* 1641.*Vrbano VIII.Summo Pontifice concedente, singulis vigintinovem annis id declaraturo in Curia Episcopali Massę Lubren.*

Horatius Maldacea Vic.Gen.& Deleg.Apost.

Ioannes Baptista Cangianus Prim.Deleg.Apost.

Hinc est etiam,quod in omnibus instrumentis, & scripturis publicis, seù privatis, quæ in partibus confectæ sunt,semper prædicta Abbatia Sancti Petri, unà cum sua Grancia Sancti Iacobi Apostoli, fuerunt nominatæ Massæ Lubren,ut ex instrumento,quod producitur, *Notarii Francisci de Turris sub die* 18. *Novembris de anno* 1488.*fol.* 175. ubi agitur inter Abbatem, & Fabros murarios de reparanda dicta Abbatia .*Et ex instrumento Notarii Iulii Cęsaris de Turris sub die* 9.*mensis Februarii* 1557.*Et ex altero instrumento subassictus, facti per Procuratorum Eminentiss.q.Card.Rospigliosij, tunc Abbatis, die* 19. Sep-

Septembris de Anno 1675.*manu Notarii Ioannis Baptista de Turri*; Et insuper *ex instrumento procurationis factę per Patrem D.Ioannem Baptistam Campana, Agentem Generalem qu.Eminentissimi Domini Cardinal.Pallotti,in personam Domini Episcopi Massen,de Iuliis,sub die* 21.*Octobris* 1653.*manu Notarii Michaelis Angeli Carpanzani de Neapoli*; Et insuper constat *ex partita Banci Sanctissimi Salvatoris Civitatis Neapolis*, in qua Eminentissimus Dominus Cardinalis Cantelmi Abbas,recipiendo complementum ducatorum quingentum triginta,affictus anni 1691.prædictæ Abbatiæ,à D.Gaetano Amalphi, Cive, & Presbytero Surrentino (qui timore reverentiali, & ut morem gerat Domino Archiepiscopo suo Superiori,causam dedit furtivæ, clandestinæ,& prætensæ Visitationi,fieri demandatæ, ut asseritur, de anno 1690.prædictæ Abbatiæ) bis in eadem partita confessi sunt,Abbatiam,& Granciam prædictas esse de Diœcesi Massæ Lubren. *Et ex altera partita Banci Sacri Montis Pauperum Civitatis Neapolis*, solutionis factæ, ducatorum quinque, & carolenorum septem per Matthiam Moruillo eidem de Amalphi Affictùario, sub die 26.mensis Februarii 1690,cum decreto Regii Consilii Neapolitani,quæ enunciativæ antiquæ,& recentes,adminiculatę,& Iuris assistentia roboratæ, sufficientèr probant, *Rot.post Tambur.de Iur.Abbat.dec.*47.*num.*7;*dec.*66.*num.*6;*dec.*69.*num.*11.*&* 13.

Nec omittitur,adesse signa,quod ipsa Ecclesia Abbatialis de Caprolla, fuerit jamdudum una de Parochiis Lubren, quæ fuit desolata propter frequentem incursionem Piratarum, una cum Villa ei adjacente, &translata ab Episcopis Lubren ad Ecclesiam Parochialem Sanctæ Mariæ Gratiarum,Villæ Sanctæ Agatæ,ejusdem Civitatis,& Diœcesis Lubren,quæ à Caprolla, post Villam Torchę,magis accedit ad Civitatem Surrenti; nam fons Baptismalis ex marmore fabrèfactus, qui extabat in Ecclesia Caprollæ,cum Insignibus Divi Petri,nempè clavibus, & Triregno,fuit traslatus ad eandem Parochialem Sanctæ Mariæ Gratiarum, in qua usque ad præsens intactus asservatur,de mandato eorumdem Dominorum Episcoporum Lubrensium, in memoriam prædictæ obsoletæ, & translatæ Parochiæ,ut ex fide jurata,& authentica probatorum virorum,deponentium de traditione,& fama inconcussa;Undè arguitur ex dicto signo permanente,quod servatur in Civitate Lubren, & ex dicta traditione,

Nec omittitur quod in [illegible] Caprolla [illegible] [illegible] in [illegible] Parochiæ [illegible] Torche Civitatis Massæ Lubren [illegible] in [illegible] de Caprolla, et [illegible] [illegible] [illegible], et [illegible] ad hodiernum tempus [illegible], nullo [illegible], [illegible], [illegible], [illegible]

ne,& fama,quod semper eadem Abbatialis,etiam in statu Parochiæ, fuit de Jurisdictione Domini Episcopi Massen.

Hinc etiam *Ioannes Baptista Chrysogonus Mantuanus, Author antiquus, Anachoreta prædicti Eremi de Caprolla in suis dialogis, quos vocavit Pomiliones dialogo* 13. loquendo de nomine Eremi Caprollæ,& Massæ Vrbis,de eis unitim,& de Caprolla, uti pars Massæ, & situata intra fines Massæ,& sub uno dialogo,affatus est, cui tanquam testi integro,& de re benè conscio, datur fides, *Card. de Luc.de præhemin. discursu* 2.*num.* 14. *& discur.* 3. *num.*10.Scripsit de anno 1533. ex Promontario Minervæ, quod ad se Amalfi spectat, ut idem Chrysogonus fatetur in sua prefatione.

Hinc est etiam,quod semper quod accidit casus tuendi immunitatem localem prædictæ Abbatiæ, seù Granciæ, fuit habitus recursus ad Dominum Episcopum Massæ Lubren,ut ex scripturis transmissis;& tempore ejusdem affictuarii de Amalphi,ipso instante,processit Dominus Episcopus Massæ Lubren, ejusque Curia contra Gubernatorem,ejusque Byrruarios,obsidentes prædictam Granciam Sancti Jacobi, ad finem capiendi duos Refugas; & denuò contra Gabellarios Civitatis Massæ, impedientes exemptionem personalem colonis prædictæ Abbatiæ in quibusdam comestibilibus: Et insuper, de anno 1589 processit contra Franciscum Buzzavotra,tunc exactorem Regiorum fiscalium Civitatis Massæ, qui pro iisdem fiscalibus, authoritate laica sequestraverat quoddam nemus cæduum,emptum per dictum Affictuarium,pro accendenda calcinaria fornace; & quia hoc accidit tẽpore quo prædicta Abbatia erat in posse Reverendæ Cameræ Apostolicæ, ad effugiendam justitiæ provisionem prædictæ Episcopalis Curiæ,quæ erat benè informata de merito causæ,confugit ad Reverendam Nuntiaturam Apostolicam Civitatis Neapolis, à qua obtinuit plures inhibitiones, & provisiones, tanquam affictuarius spoliorum, directas dictæ Curiæ Episcopali Massæ Lubren, in quibus Nuntiatura ipsa, benè instructa de veritate situs, territorii, & jurisdictionis prædictæ Abbatiæ,semper illam Diœcesis Massæ Lubren nuncupavit,de quibus omnibus producuntur acta authentica, in quibus tribus actibus semper subsequtus fuit effectus.

Augentur probationes circa dictam jurisdictionem,ex aliis actibus antiquis, ut ex processu compilato de anno 1615. in Curia Episcopali Massæ, super nullitate carcerationis Clerici Francisci Vestuchiæ,se-

quutæ in domo Abbatis Caprollæ, & demandatæ per Curiam secularem, cum successiva ejusdem relaxatione, ordinata per Episcopum Lubren, & ex aliis processibus trasmissis, & qui transmitti possunt, tam criminalibus, quam civilibus, in quibus processit Curia Episcopalis Lubren.

Hinc est etiam, quod de anno 1661; quo tempore erat Abbas in prædicta Abbatia Eminentissimus Dominus Cardinal. Pallottus, Fœlic. Recordationis, commisso furto in prædicta Abbatia, per filios iniquitatis; Agens prædicti Domini Cardinalis, sivè ejus Procurator, comparuit in Regia Curia Civitatis Massæ, & ibi processum contra Reos compilavit, quo processu transmisso ad magnam Curiam Vicariæ Civitatis Neapolis, vigore appellationis; quia in eo indiciatus extitit D. Vitus Modugno Presbyter Massæ Lubren, per eandem magnã Curiam carceratus; fuit una cum processu remissus à d. magna Curia ad Curiam Episcopalem Massæ Lubren, mediante decreto de anno 1663. ut ex copiis authẽticis, principii, & finis d. processus, quæ trãsmissę sũt, est videre. Et quia causa hęc fuit satis famosa, & divulgata, non solum Surrẽti, & Neapoli, sed per totum ferè Regnũ; utiq; si Domino Archiepiscopo Surrentino aliqua jurisdictio spectasset ad d. Abbatiam; ipse institisset sibi causam remitti, quæ remissio canonizat, quod supradictum est, Diœcesim Lubren mensurari à Territorio Civitatis Lubren; quia cæpta causa in Curia seculari Lubren, fuit remissa, respectu Clerici, ad Curiam Ecclesiasticam Lubren.

Hinc est etiam, quod polluta prædicta Ecclesia Abbatiali, ejusque Grancia, ad eam reconciliandam, fuit per Dominum Abbatum Petrocchinum accersitus Dominus Episcopus Massæ Lubren de anno 1633. & pluries, ac pluries, imò quotannis idem Dominus Episcopus, ejusqueCuria expediverunt monitoria excommunicationis, contra damnificantes bona prædictæ Abbatiæ, imò, & conservatoria tempore turbationis, & molestiæ, vel impedimenti, ut apparet ex scripturis productis, præsertim his novissimis temporibus, sub die 12. Augusti 1653. & sub die 20. Iulii 1679. & primo Iunii 1685.

Hinc est etiam, quod semper, & omni anno Capitulum, & Presbyteri Massæ Lubren in secundo die Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, accesserunt ad celebrandum festum in prædicta Ecclesia Abbatiali, auscultando confessiones fidelium, & Missam de-

decantando cum eorum Almutiis, prout in cæteris Ecclesiis Civitatis Massæ; & Civitas ipsa, una cum Domino Gubernatore Massæ, ad dictum festum accedere consuevit, in forma Civitatis, sedendo; & Concionator Cathedralis Ecclesiæ Massæ, qui in Quadragesima prædicavit, ibi etiam quotannis concionem habuit, præsente eodem Reverendo Capitulo, & Clero, & Civitate ipsa. Et idem Dominus Episcopus Massæ anno ferè quolibet, se transtulit ad dictum festum, ibidemque vel solemniter celebravit, vel Cappellam habuit in Cappa Magna, & in Throno assistendo Sacro, & Concioni, ibidemque benedictionem solemnem dedit, & in accessu, & regressu, more solito, populum benedixit; & hæc omnia absque controversia, sed pacificè, & quietè, ut ex fidibus Authenticis Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum, & Nobilium Civitatis Massæ, & ex Mandatis dictæ Civitatis, cōcomitantèr ad dictas fides, productis in actis, de anno 1629. & 1661; extractis à computis Vniversitatis, productis in Regia Camera Sumariæ, & ex fide Notarii Francisci de Martino Sindici de anno 1662. & 1663. transmissa, & centena alia similia mandata, & actus possent adduci, contestantia hanc veritatem, in quibus, Nautis Ipsam, ejusque Gubernatorem, Concionatorem, aliosque de Clero, & Civitate, ad d. Ecclesiam conducentibus, Naulum solvi fecit (ut quotannis mos erat, & est) cum hac expressa mentione, manutentionis eorum Iurisdictionis. Et in eadem maritima de Caprolla cernitur publica Caupona Civitatis Massæ, quæ ab ipsa Civitate locatur, & eidem affictum persolvit; qui affictus producuntur: necnon Turris ædificata à Regia Curia, & Civitate Massæ pro custodia Turcharum, cujus custos, est Civis Massen; quæ Civitas usque nunc, in prædictis confinibus Cryptarum Baccalium, & per totum tenimentum Caprollæ, excubias apposuit, pro arcendo morbo pestilentiali, in partibus Apuleæ exorto, ut ex fidibus productis. Et quænam urgentiores probationes ad fundandam Iurisdictionem Civitatis, & Episcopi Massæ Lubren, quàm hæ? cū tractetur de fabricis, & actibus publicis, manifestis, & notoriis permanentibus, qui non possunt concuti versipeliis, & æquivocationibus partis adversæ, quæ sub involucro verborum, studet confundere Scopulos Gallorum cum maritima Caprollæ, cum novis fidibus productis, & lite pendente fieri procuratis à Capitulo, & Magistra-

tu

tu Surrentino, ut asseritur, quæ tanquam generales, & vagæ non merentur fidem, *Bich.dec.621.n.529*; Licet fidem facientes se excusent de ignorantia talium fidium, & præcisè Civitas ipsa Surrenti. Plura de his testatur Pater Persicus Jesuita in descriptione Civitatis Massæ, impressa de anno 1644. qui licet scripserit sub nomine V. I. D. Ioannis Baptistæ sui Nepotis, attamen ipse fuit author operis, qui prædicta confinia, prout est cantio instrumenti confinium, tanquam testis de visu, situat; ut abundanter ex processu transmisso, & compilato de anno 1652.

Hinc etiam resultat, quod dum Iurisdictio Civitatis, & Episcopi Massæ Lubren sit tot actibus, & factis notoriis, manifestis, & perpetuis fundata, & majoribus probationibus, quæ brevitatis causa relinquuntur, posset manifestari; non potest de ea exhitari; & quidquid asserat in contrarium Dominus Archiepiscopus, æstimandum est figmentum, inverisimile, commentitium, vel saltem clandestinum.

Hinc est etiam, quod singulis trienniis, Dom. Episcopus Massæ Lubren in Visitatione Liminum Sanctorum Apostolorum, semper in sua relatione retulit statum prædictæ Ecclesiæ Abbatialis Sancti Petri ad Caprollam, ejusque Granciæ Sancti Iacobi Apostoli, uti de sua Iurisdictione; & novissimè sic retulit sub 20. Novembris 1687. & sub 3. Iulii 1689. & iterum in præsenti anno 1692.

Nec omittitur, Dominum Episcopum Massæ Lubren visitasse etiam prædictas Abbatiam, & Granciam, quia ultra Visitationem allatam de anno 1654. adsunt etiam, & visitationes antecedentes, & subsequentes, & in processu compilato de anno 1652. & roborato authentica Reverendæ Nuntiaturæ Neapolitanæ; inter cæteras probationes de actibus Iurisdictionalibus Domini Episcopi Massæ Lubren in prædicta Abbatia, & Grancia, adest probatio per testes Iuratos, & formitèr examinatos, quorum aliqui adhuc vivunt, quod Dominus Vicarius Massæ Lubren, tunc D. Horatius Maltacea, qui postea fuit Canonicus Neapolitanus, præsente Domino Archiepiscopo Surrentino del Pezzo (qui veste brevi indutus, & duobus famulis tantùm associatus, casu accesserat ad videndum Dominum Dominum Abbatem Petrocchinum in prædicta Grancia Sancti Iacobi) ipso præsente, sciente, & vidente, prædictam Granciam visitavit, laudante ipso Domino Archiepiscopo visitationem prædictam;

etsi

etsi quid contrarii idem Dominus Archiepiscopus habuisset, utiq; hoc non tolerasset; quæ visitationes demonstrant Ecclesias esse in Iurisdictione, & de Iurisdictione Ordinarii Lubren *Grat. disc. 918. num. 19.*

Hinc cernimus, Dominum Episcopum Massæ Lubren è converso habere titulum non unum, sed triplicem; unum resultantem ex dicto instrumento confinium; Alterum, cum prædicta Abbatia, & Grancia sint intra fines suæ Iurisdictionis, & alterum ex immemorabili, ut ex fidibus juratis, & authenticis prædictis, & ex dicto processu anni 1652. Habere insuper possessionem, & Iuris assistentiam; possessionem quidem; cum omnes actus jurisdictionales semper, & ad semper, inconcussè, & non interruptè, à tempore immemorabili, & de recenti, pacificè, & quietè, verè, & realitèr, & non fictitie (prout ficti sunt actus producti per Dom. Archiepiscopum) fuerunt exerciti per ipsum Dom. Episcopum Massæ Lubren; quibusq; enim vicibus, in quibus contigit, agi de aliquo delicto patrato, vel in Ecclesia, vel in ædibus, sivè in territorio de Caprolla, sivè in Grancia Sancti Iacobi, ejusque districtu, semper in eis processit Dominus Episcopus Lubren, sive ejus Curia Episcopalis, ut ex dicto processu, & fidibus Iuratis hominum fide dignorum, & ex scripturis extractis ab Archivio Lubren, & à Curiis Laicalibus. Etsi actum fuerit de causis immunitatis, libertatis, seù Iurisdictionis Ecclesiasticæ, idem fuit servatum; & ultimis his temporibus, idem Affictuarius de Amalphi tèr recursum habuit ad Dominum Episcopum Lubren; Primò pro defendenda immunitate locali de anno 1690. Ecclesiæ Sancti Iacobi, obsidione vallata à Domino Gubernatore Lubren, ejusque familia noctis tempore, à qua illicò prædictum Gubernatorem, & familiam arcuit, mittendo ejus Procuratorem fiscalem, & Actuarium ad locum loci, & salvis, & liberis remanentibus ibidem duobus refugis. Secundo in casu, quo Gabellarii Lubren denegabant franchitias pro frumento turcico colonis prædictæ Abbatiæ, in quo, ipso Affictuario instante, Dominus Episcopus restituere fecit prædictum granum turcicum sequestratum. Tertio cum idem Affictuarius, pro coquendis fornacibus calcinariis, molestabatur ab Exactore fiscalium Lubren super quadam frasca empta, ipso Affictuario petente, ad Monitorialia processit contra dictum Exactorem, ut ex copiis, & fidibus

dibus transmissis. Et quia in prædicta causa, circa Iudicis competentiam, quod scilicet erat Iudicis Ecclesiastici, & non laici; hoc per ambas partes fuit habitum pro vero; remansit solùm in ipsa Episcopali curia causa civilis, & temporalis, nempe ad quem ipsorum spectabant fasciculi prædictarum frascharum; in qua, videns ejus malam causam prædictus Affictuarius, recursum habuit malitiosè ad Dominum Nuntium Civitatis Neapolis, asserendo causam ad ipsum spectare, & ab eo debere avocari; ex quo ipse tunc temporis erat Affictuarius Reverendæ Cameræ Apostolicæ, & virtute suorum privilegiorum, tales causæ ad dictam Reverendam Cameram erant remittendæ, & in ea expediendæ: quod si habuisset aliquam competentiam Dominus Archiepiscopus Surrentinus, utique idem Affictuarius ejus subditus ad ipsum, & non ad Episcopalem Curiam Lubren, & posteà ad Nuntiaturam Apostolicam recurrisset, & tantò fortiùs, quod dictus Affictuarius sub umbra, & protectione Domini Archiepiscopi vivit. Et quod fortiùs, quod in eadem causa, expeditis inhibitorialibus, & observatorialibus à prædicta Nuntiatura cōtra Episcopalem Curiam Lubren; semper dictam Abbatiam, & Grāciam esse de Diœcesi Massæ Lubren nuncupavit, non aliundè, nisi ex Registris, & actis ejusdem Nuntiaturæ, in quibus ità inconcusè enunciatur, & denominata reperitur; prout verificatur etiam ex quadam Epistola Missiva Illustrissimi Domini Nuntii Muti, transmissa sub die 3. Iulii 1689. ad Dominum Episcopum Lubren, in qua commendando prædictum Affictuarium de Amalphi pro dicta causa fasciculorum, tamquam ad Iudicem competentem; Abbatiam prædictam de pertinentiis Diœcesis Massæ Lubren nuncupavit; ut ex exemplo authentico prædictæ Epistolæ est videre.

Hoc idem comprobant, & ostendunt monitorialia relaxata per Curiā Lubren, ad conservationem, defensionem, & recuperationem bonorum dictæ Abbatiæ, semper, & ad semper, & alii actus exerciti in prædicta Abbatia, & Grancia, & circa ipsas, privativè, quoad alios, à Domino Episcopo Lubren, ejusque Vicario, ut ex scripturis, & fidibus, & ex processu transmisso ad Illustrissimum Dominum Iudicem.

Comprobantur ista; nam si fuit aliqua controversia circa dictam Abbatiam, quandoque inter Dominum Episcopum Lubren, & Dominum Archiepiscopum, illa tantummodo versabatur circa Visitationem,

nem,

nem,non circa reliqua,ut fuit de annò 1652. sed quia introducta causa in S.Congregatione Concilii, & ibidem facto Ponente causæ Eminentissimo Domino Cardinali Santacrucio, vel ut fertur (licet acta causæ non reperiantur) Dominus Episcopus Lubren obtinuit, vel patefactis Iuribus utriusque partis, Dominus Archiepiscopus videns suam malam causam, à seipso à lite resiluit. Quod manifestatū est ex observantia, nam post dictam litem, Dominus Episcopus Lubren eadem ususfuit Iurisdictione in dicta Abbatia, & Grancia, qua priùs pacificè, & quietè, sine controversia, scientibus, & patientibus Eminentissimo Domino Cardinali Pallotto, tunc Abbate, & deindè Eminentissimo Domino ejus successore Cardinali Rospigliosio, & subindè Reverenda Camera Apostolica; et cum Dominus Archiepiscopus in anno 1689. ex industria, extorsisset Rescriptum, cum auxilio, et intelligentia ejusdem Affictuarii, ab eodem Illustrissimo Domino, tunc Nuntio Apostolico Muti, præessendi cuidam coloratæ fabricæ prædictæ Abbatiæ; ad finem, ut ex hac porta, ingressum haberet ad illam, et ibidem clandestinos actus exercere potuisset. Re percepta per Dominum Episcopum Lubren, eam facultatem subreptitiè obtentam, sub prætextu, quod Abbatia erat in confinibus Surrenti, et Massæ, revocare fecit sub die 9. Iulii 1689., dictamque revocationem per Notarium Apostolicum Domino Archiepiscopo notificavit; qui videns suam machinationem delusam, nihil attentavit, nec in dicta fabrica se ingessit. Hinc arguitur, quod tanto timore afficiebatur Dominus Archiepiscopus ad accedendum ad dictam fabricam, et Abbatiam, ut occasiones affectaret hujusmodi, et aliena authoritate uti intendebat, ut furtivos actus exercere potuisset.

Hinc etiam oritur inverisimilitudo Visitationum per ipsum allatarū, quæ quantum distent à Veritate, arguitur ex alio; quia Dominus Episcopus Lubren utique processisset contra visitantes, vel visitare volentes; si hæc vera fuissent, prout processit de anno 1652. in quo Dominus Archiepiscopus non visitavit, sed Recreationis causa, accessit ad Scopulos Gallorum, cum sua laicali familia, et indutus veste correpta ad Genua, occasionem arripuit accedendi ad dictam Ecclesiam Abbatialem, pro celebranda tantum Missa, qua completa, illicò reversus est, non visitando, non benedicendo, nec ullum

actum

actum Iurisdictionis exercendo, ut deponunt testes examinati in processu transmisso, quorum aliqui adhuc sunt viventes; Sed quia ad jactationes devenit, quod visitasset; Dominus Episcopus Lubren è contrà ad citationes, et edicta in contrarium processit, nec non ad carcerationem Cappellani, ut ex dicto processu.

Roboratur hæc veritas, ex fide Domini Episcopi Vici Æquen, qui testatur, in sua Diœcesi adesse alteram Granciam prædictæ Abbatiæ, sub titulo Sancti Philippi, eamque se Visitare, et in ea totalem Iurisdictionem exercere, et penitùs se ingessisse, vel ingerere Dominū Archiepiscopum. Ex quo resultat validum argumentum; quod si ibi non Visitat, nec alia Iurisdictionalia exercet; nec Visitare, sive alia Iurisdictionalia exercere potuit, et potest in prædicta Abbatia Sancti Petri, et Grancia Sancti Iacobi; quia cum Iurisdictio sit una, et individua, debet respicere omnia loca æqualitèr.

Quoad Iuris assistentiam, patet ex eodem Instrumento confinium, et ex aliis scripturis, et fidibus productis per Dominum Episcopum, ex quibus clarè habetur, prædictam Abbatiam esse in Territorio, et Diœcesi Massæ Lubren, unà cum dicta Grancia, et de hoc ullus unquā dubitavit; imò Dom. Archiepiscopus del Pezzo in d. anno 1652. in suo edicto obstentativo, promulgato de Visitatione facta in prædicta Ecclesia Abbatiali, expresse fassus est, prædictam Abbatiam, et Granciam Sancti Iacobi esse de territorio Massæ Lubren. Hocque est adeò notorium, et verum; ut si procederetur ad examen Principalis, et testium; adhuc ipsa Pars, ipsique Surrentini aperto ore faterentur, et negare non possent.

Quapropter ex sola Iuris assistentia, quam habet Dominus Episcopus Lubren, meretur manutentionem, juxta dispositionem *Cap. cum Personæ, de Privilegiis in 6., Cap. omnes Basilicæ 16. q. 7., Cap. cum venerabilis, de Religiosis domibus, Cap. 1; de foro competenti*, prout semper fuit decisum per *Rotam*, & præcisè *in una Baren Iurisdictionis 16. Februarii 1609. coram Coccino; quæ est decisio* 448., & 18. *Maii* 1609. *quæ est decisio* 471., & *primo Februarii* 1650., *quæ est decisio* 273. ut cum aliis decisionibus *Rotæ*, docet, & fundat *Posth. de manutentione, observatione* 45. *num.* 14. & *alibi*. Et è conversò Dominus Archiepiscopus ex sola Iuris resistentia, & ex suspicione actuum, quos producit, venit repellendus, & à petitis reiiciendus, non solum ab omnibus

Marell. vas. 11. n. 1. 2. et 3. lib. 1. f. 22.

bus actibus Iurisdictionalibus, quos prætendit; sed etiam à Visitatione, de qua erat articulus tantùm anni 1652; cum ipsa Visitatio spectet ad Ordinarium Diœcesis, etiam si locus esset exemptus, quod non est in casu nostro, ut fuit resolutum per S.Congregationem Episcoporum Regularium his verbis. *L'Ordinario può, come Delegato Apostolico, in vigore del Concilio di Trento sess. 21.cap.8.& sessione 24.cap.9., e deve sottopena di peccato, visitare i luoghi esenti, che sono dentro li confini della sua Diocesi, ò più vicini ad essa, 1616. Messina 22.Aprile, 1615.Giovenazzo 30 Gennaro; Teste Crispino olim Episcopo Vigilien, nunc Episcopo Ameliæ in sua Visitatione Pastorali parte 1.* §.13.*nu.*2.Et ad propositũ *facit etiam alia declaratio S.Congregationis Concilii inter Dominum Episcopum Volturariæ, & Dominum Priorem Barlettæ his verbis. Potuisse, ac posse Episcopum, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum visitare Ecclesiam Parochialem, ac in Visitatione edere decretum in concernentibus curam animarum, administrationem Sacramentorum, implementum onerum Missarum, ejusdemque Ecclesiæ restaurationem. Et non acquiescente Priore huic declarationi, ac iterum reclamante; denuò S.Congregatio declaravit, Episcopum manutenendũ esse, nè dum in præmissis, sed etiam in approbatione Confessariorum, Benedictione Concionatorum, & aliis concernentibus Iurisdictionem à S.C.T. delegatam in locis exemptis; donec ex parte Prioris doceatur de Territorio separato, per privilegium Apostolicum, vel per immemorabilem, canonizatam per tres sententias conformes, prout refert Eminentiss. Dom. Cardinalis de Luca de Iurisdictione, & foro competẽti discur. 3.n.2. Idem Crispinus p.*2.§.40.*n.*5.+ Si hæc in Ecclesiis exemptis, quanto magis in Ecclesiis propriis, & subiectis? Et hæc omnia ortum habent à Iuris resistentia, secundum quam; is, qui prætendit contrarium, tenetur ante omnia docere de titulo, qui plenè est discutiendus antè omnia; & sine eo, & discussione prædicta, à Iudicio manutentionis repellitur. *Posthius loc.cit.n.*14.*& abb.* & cum Dominus Archiepiscopus titulum non habeat ingrediendi alienam domum, à seipso cadit à prætensis;

Non obstant adducta in contrarium, & primò de possessione Domini Archiepiscopi in visitando, præcedẽtibus edictis, & subsequentibus decretis; quia hoc est fictitium, commentitium, & penitùs à veritate alienum, ut superiùs probatum est, & comprobatur ex eo, quod asserit

rit

rit se visitasse suo tempore, in anno 1690, edicta affixisse, & decreta protulisse; nam nullũ ex his fuit verum, & statim ac Dominus Episcopus Lubren notitiam habuit hujusmodi jactantiæ, illicò eam repercussit, capiendo informationem de asserta jactantia, & citando jactatos Visitatores, qui in rei veritate non fuerunt Visitatores, sed Clerici Venatores, sclopis, & aliis armis muniti, & Piscatores; quorum duo fuerunt transvecti per cymbã piscatoriam ad maritimam Caprollæ, & alter armatus per terram se contulit ad locum, & interrogati, quid essent facturi; responderunt venationis causa iter agere; & quis finis à Clericis armatis, & venatoribus sanctæ Visitationis consequi poterat? en inverisimilitudo, quæ est falsitatis imago! Nec est credendum hos functos fuisse munere visitationis; quia hoc saperet delictum, & fuisset etiam contra mentem, & voluntatem Eminentissimi Domini Abbatis; contra quem non est præsumendum, Affictuarium voluisse dare claves Ecclesiæ, dum sciebat prædictum Eminentissimum reluctasse etiam à tempore, quò fecit mutare Breve de capienda possessione; ut infrà dicetur.

Et dato, & non concesso, quod functi fuerint; actus hic esset invalidus, vitiosus, & clandestinus, & consequentèr nullius momenti, & deserviret solùm ad augendam fraudẽ in reliquis; Et statim, ad cautelam, Dom. Episcopus Lubren diligentias fecit in dicta Abbatia, & Grancia, an adessent visitationis edicta, & decreta; & nihil horum; fuit repertum, ut ex informatione transmissa.

Quapropter dignoscitur hujuscemodi voces esse puras, & artificiosas jactantias, & industriosa adinventa. Eodem vitio laborant, & aliæ Visitationes adductæ; quia sunt cartulariæ, nõ reales, & utique si illæ veræ fuissent, Episcopus Lubren eas scivisset, dum non potest dari accessus à Civitate Surrenti ad Abbatiam Caprollæ, sivè Granciam S. Iacobi, sivè per terram, sivè per mare; nisi per totã Diœcesim Lubren deambulatio fiat; & contra Visitantes processisset, tanquam inturbatores suæ Iurisdictionis; prout processit in anno 1651, quando non agebatur de Visitatione, ut supra dictum est, sed de sola jactatione ipsius, ut ex processu transmisso; & hanc negativam probant fides juratæ ministrorum Abbatiæ, coaotatæ loco, & tempore, & cum stricta causa scientiæ, quod si fuissent, scivissent.

Neque ejusdem Ecclesiæ possunt esse duo Visitatores, Iurisdictionis distinctæ,

ſtinctę;nam ſi EpiſcopusLubren illas viſitavit,prout eſt verum,non poteſt dici illas viſitaſſe Archiepiſcopum Surrentinum.Et de viſitatione Epiſcopi Lubren adeſt illud peculiare ſupra mentionatum, relatum in proceſsu tranſmiſso,quod Vicarius Lubren dictas Eccleſias viſitavit,preſente,ſciente,& vidente,ac laudante Domino Archiepiſcopo del Pezzo,quod utique non permiſiſset ſi ſua fuiſset Iuriſdictio viſitandi,ut ex dicto proceſsu.

Convincitur ex alio huiuſmodi adinventum;quia hæc Abbatialis Eccleſia aliam habet Granciam in Civitate ViciÆquen,ut dictum eſt, quam tantummodò viſitat privativè,quoad alios,Dom.Epiſcopus ViciÆquen,ut ex fide ejuſdem Domini Epiſcopi.

Niſi velimus dicere,quandoque Dominum Archiepiſcopum potuiſſe viſitare totam Diœceſim Maſsæ Lubren , & incluſivè prædictam Abbatiam,quando erant in uſu Viſitationes Provinciales,quæ cum à multo tempore ceſsaverint. *Nicol.in floſculis tom.3. v.Viſitatio ordinaria n.2.fol.mihi* 775., ceſsat etiam obiectum , & hæ non reſpiciunt Iuriſdictionem ordinariam,de qua hodie queritur,ſed Metropoliticam. Tum denique,quia non probatur ſcientia, et patientia Epiſcopi principalis, ad hoc ut ipſi poſſit dici præjudicatum. *Rot. dec.70.n.76.p.13.recent,*

Nec inficit aſsertum de obedientia præſtita per Abbates,quia nunquã iſti talem obedientiam exhibuerunt, ut ex fidibus juratis Procuratorum,et Affictuariorũ,ac Commiſsarii Apoſtolici ejuſdem Abbatiæ. Et hoc convincitur ex alio, nempè ex proteſtatione facta anno præterito per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Cantelmũ, modernum Abbatem per ſpeciale mandatum, dum Dominus Archiepiſcopus prima die Maii 1691,ſedendo in Throno, & obedientiam recipiendo,advocari fecit, quemdam Clericum indutum ante ſe,coactivo modo, inſulis Epiſcopalibus, nempè Mitra, Baculo Paſtorali, & Pluviali, & coram ſe genuflexum,declarantem ſe pro Abbate Caprollæ, obedientiam præſtare; quo in actu, Notarius Apoſtolicus D.Petrus Antonius Pinus alta voce inſtrumentum proteſtationis legit, & ſe proteſtatus fuit pro parte dicti Eminentiſſimi Domini, nequaquam Clericum illum eſſe ejus Procuratorem, vel Miſſum, ſed fuiſſe compulſum per eundem Dominum Archiepiſcopum ad faciendum actum illum fictitium, & falſum, qui proindè nõ

B po-

poterat ingerere præjudicium ullum eidem Eminentissimo Abbati, in Conclavi tunc existenti, qui de ea se conquestum habiturum cum futuro Summo Pontifice insinuavit; ut latiùs ex instrumento prædictæ protestationis transmisso, in quo esse de Diœcesi Massæ Lubren prædictam Abbatiam, idem Eminentissimus nuncupavit. Et ex hoc actu ficto, & suppositio, quem adducere in judicio Dominus Archiepiscopus non veretur, argui potest ad Visitationes recensitas, quod scilicet tali vitio laborent, cum fictus in uno, censeatur fictus in aliis. Vndè evanescit, id quod asserit, adversarium probasse possessionem in certis tantùm actibus, quia juxta rei veritatem, in nullo actu possessionem probavit. Et retorquendo argumentum pro Domino Episcopo Lubren, faciunt omnes conclusiones, & rationes adductæ per Dominum adversarium de individualitate Iurisdictionis, quæ satis, & evidenter probata est pro dicto Domino Episcopo, ex scripturis, non modo à suo Archivio, & Tribunali, sed ex aliis excerptis, indubitatis, & publicis.

Suppositio

Ad id, quod dicitur, possessionem Domini Archiepiscopi esse fulcitam legitimo titulo; Respondetur, nam si intelligit pro titulo allegatas per ipsum fides Dominorum Canonicorum, & Magistratus Civitatis Surrenti, de recenti mendicatas; illæ potiùs obstant, quam ei favent, & magis se involuit; quia territorium Caprollæ est de Iurisdictione Domini Episcopi Massæ Lubren, cui adjacent Scopuli Gallorum, ut ex instrumento divisionis prædictarum Civitatum, & ex fidibus Cordatorum virorum, ut ex confessione etiam partis adversæ, quæ àntecedenter dicebat, sed non probabat, hanc Iurisdictionem ad se spectare; tanquam sibi reservatā à tempore dismembrationis Diœcesis Surrentinæ, & creationis Episcopatuum Massæ, Vici, & Castrimaris; in quo asserto, videns se non habere titulum, nec probare ab initio possessionem, recurrit ad aliud medium, nempè prædictarum fidium, quasi fides essent titulus; Vnde ex hoc sequeretur, retorquendo argumentum, quod cum Gallorum Scopuli sint adiacentia ad Terram firmam, nempè ad Cryptas Baccarum; consequenter etiam ipsi Scopuli sint de Iurisdictione Domini Episcopi Lubren; Vel intelligit pro titulo actus fictos, & ex ficto, & falso fictum, & falsum oritur, vulgatis Iuribus.

Ad id quod dicitur, quod Piscantes in mare delli Galli solvunt decimam

mam piscium;non facit ad casum nostrum;licet de hac decima(que nova res est,& insolita)sit lis inter Patres Cartusianos,& Dominum Archiepiscopum in Romana Curia,& de dicto mari,ejusque Scopulis delli Galli inter prædictos Patres, & Civitatem Surrenti in Cõsilio Neapolitano; sed de maritima Caprollæ indubium est, piscantes in ea solvisse, & decimas solvere Domino Episcopo Lubren, & ultra dictam maritimam,usque ad Scopulum dell'Ischia, & ulteriùs usque ad Scopulum della Vetara,& progrediendo ad terram,usque ad Rivum de Reviculo, & ulteriùs usque ad Cryptas Baccarum,ubi adest lapis magnus cum Cruce, distinguens Iurisdictionem Surrentinam à Iurisdictione Massæ Lubren, decimam etiam exigere, ut ex fidibus exhibitis; & ex probationibus factis in Romana Curia per ipsum Domiuum Archiepiscopum contra prædictos Patres Cartusianos, & ex dicta historia Massæ Lubren Patris Persici,quæ describens territorium Lubren à Caprolla usque ad confinia, ita se habet.

ipsum

Da Nerano,salendo in alto si ritrova un'antichissimo Tempio à trè Navi con colonne di marmo, tutto dipinto, con il pavimento di Mosaico dedicato à S.Pietro Apostolo, chiamato S.Pietro à Caprolla; Vi è un'antico edificio sopra il mare, li cui vestigii dimostrano, che sia stato dormitorio di Religiosi; Sotto vi è una bella marina, loco amenissimo, solitario, e lontano dalla conversatione degl'huomini. Si dice per antica traditione, che vi era un gran Monasterio, & Abbatia di Monaci negri di S.Benedetto; hoggi ancora è Abbadia, la quale dal Sommo Pontefice si conferisce, e rende più di mille docati. Sopra vi è un gran territorio di detta Abbadia, dove è una pianura, la quale si semina di grano; Vi sono anco oliveti, e vigne. Il secondo giorno di Pascha di Resurrettione si celebra la festa in detto Tempio con gran sollennità, cantano la Messa li Canonici, e Preti del Vescovato di Massa, e vi và à predicare quello, il quale hà predicato la Quadragesima nel Domo di Massa. Vi concorrono gran gente per mare, e per terra. Doppo la detta marina di Caprolla, vi è un'Isoletta, chiamata Ischia, e sequendo innanzi per mare s'arriva ad un luogo detto il Rivo di Rivienlo, dove sono le Grotte Vacchare. Et ivi si termina il mare di Massa, dove quasi per un miglio vi è un'altra Isola detta la Vetara, sopra vi è il monte di S.Elia, così detto per la Chiesa antica dedicata à S.Elia, dove vi è un grandissimo oliveto, e caccia di Quaglie, doppo si trova il Casale di Torca, ò Torque, così detto à torquendo,

do, perche dagl'altri Casali torce, & alquanto si piega la strada. Ecce quanta loca, & Villæ sequuntur post Caprollam, quæ sunt de Iurisdictione Domini Episcopi Lubren; itaut Caprolla remaneat in medio Civitatis Lubren; & non habendo Dominus Archiepiscopus titulum; Quomodo sine titulo possit ingredi domum alienam, nescitur.

Quod Capacius in sua historia asserat Archiepiscopum Surrentinum præeminere Abbatiali S. Petri ad Caprollam; debet intelligi secundum subiectam materiam, nam fatetur etiam præeminere Episcopis Stabien, Æquen, & Massen, cum quibus Iurisdictionem ordinariam exercere nequaquam potest, sed solùm uti Metropolitanus in casibus à Iure permissis, ac proindè non facit ad casum. Sed quatenus ex hoc prætenderetur inferri, quod posset illam visitare; hoc negatur; ultra quod Cronistæ quando non assignant causam, & rationẽ eorum dicti, illa nullam fidem faciunt. Insuper idem Capacius in eadem historia, necnon in suo Væseyo infrà citando, Promontoriũ Minervæ appellat Surrentinum, & ante ipsum, idem dixit *Domitius Calderinus in commento ad Statium, his verbis; Soror Minerua, quæ in Promontorio iuxtà Surrentum, quod nonnulli promissum appellant, ut Strabo scribit, Templum habuit in extrema parte ab Vlisse conditum. Idemque Statius lib. 3. versu 167. loquens de Promontorio Minervæ, ità se habet.*

Vel quos è vertice Surrentino,
Mittit Thyrreni Speculatrix Virgo profundi.

Quod in facto est alienum à veritate, nam dictum Promontorium est intra fines Civitatis Massæ Lubren, & habet Turrim altissimam, de quo idem *Capacius* sic loquitur: *Vna contra Capreas murorum altitudine, & longitudine quemque perterret, & post eam sequuntur aliæ Turres*; Vna dicta della Mortella, altera de Nerano, seù del Cantone, & altera de Recomeni, post quas sequitur Turris de Caprolla, quæ omnes, unà cum aliis turribus Massen, à Regia Curia, & Civitate Massæ fuerunt ædificatæ, & à suis Civibus custodiuntur; ipsiusque territorium à Piratis tutantur; Vnde *Capacius, Calderinus, & Statius* sunt intelligendi, se loquutos de denominatione notiori, & magis vulgari, prout *Capacius* loquutus fuit, quando in suo *Vaseyo fol. 4.* Arenas Civitatis Castrimaris de Stabia, dixit esse de Surrento

to; vel si locutus fuerit secundum primævam denominationem, quando Diœceses Lubren, Æquen, & Stabien non erant creatæ, sed una tantùm erat Diœcesis Surrentina; nihil infert ad casum nostrum; Et quando hæ Diœceses fuerunt creatæ, tunc ipsarum limites fuerunt definiti, juxta confinia, & territoria uniuscujusque istarum Civitatum, ut est præsumendum, & est probatum.

Ad id quod dicitur de enunciativis Bullarum. Respondetur primò esse videndas prædictas Bullas. Secundò hanc denominationem fuisse desumptam à statu, in quo erat antè divisionem, in quo omnia loca Civitatis Massæ Lubren vocabantur Diœcesis Surrentinæ; & ideò non mirum, si dicta Abbatialis per priùs ante divisionem, adscripta erat in Diœcesi Surrentina, & si deinde sic fuerit nuncupata, neque hoc juvaret Domino Archiepiscopo; tum quia narratio non cadit, nec fundat dispositionem, sivè dispositum; tum quia in multis aliis Bullis nuncupatur Diœcesis Massæ Lubren; & ità etiam in Cronica Casinensi, & in provisionibus, quæ fiunt in titulum ab Abbatibus Casinensibus, & ex aliis publicis documentis, etiam exterorum, ut supra fundatum est. Nec inficit sic assertum fuisse in provisione Eminentissimi Dom. Cardinalis Cantelmi, tàm ex rationibus prædictis, quam etiam, quia non est in Curia; hoc fuisse artificiosè procuratum à Ministris, & à Nepote Domini Archiepiscopi in Curia existenti, prout etiam commissio capturæ possessionis, antiquiori Canonico Surrentino; quam tem advertens idem Eminentissimus Abbas, mutari, & corrigi fecit commissionem prædictam, eamque dirigere fecit Domino Nuntio Apostolico Neapolitano, ex quo desumitur, quod Archiepiscopus videns se non fundare suam intentionem, studuit semper artificiosè acquirere Iura, quæ non habebat.

Ad quartum de Concilio Provinciali anni 1572, præsente Episcopo Massen, in quo datur intelligi pro manutentione Seminarii Surrentini, fuisse taxatam prædictam Abbatiam in annuis ducatis viginti duobus; Respondetur hoc Concilium integrè videndum esse, & si fuit Provinciale, taxa etiam erit Provincialis; vel si hoc fuit factum de consensu Episcopi Lubren, ut est præsumendum, quia fuit præsens, nullum præjudicium sibi intulit, eò fortiùs, quod juxta dictam Synodum, tenebatur Seminarium alere Alumnum Massen suis expensis, quod non fuit servatum, nec servatur, & consequenter nec ta-

B 3 xa

xa prædicta. Item quod dum taxa fuit Provincialis, & non Diœcesana; potiùs illa est contra Dominum Archiepiscopum, quam prò. Itē quod illa sit intelligēda pro bonis Abbatiæ, existentibus Surrenti, ubi est altera Grancia prædictæ Abbatiæ (prout etiam est Vici) quæ omnes Granciæ appellantur de Caprolla, *ut ex eodem Capacio, & ex fide Domini Episcopi Vicani*. Vel est dicendum; quia in Civitate Lubren nunquam extitit, nec extare poterit Seminarium ob paupertatem, & defectum redditum Ecclesiasticorum; nam nō mirum si de consensu Domini Episcopi Lubren, & cum onere alendi dictum Alumnum Lubren; fuerit prædicta taxa statuta, quatenus vera esset. Et in omnem casum, cum dictæ solutiones non probantur continuatæ, & usque ad præsentem diem, & sunt extractæ à proprio Archivio partis litę pendente, & parte non citata; nullam inter non subditos merentur fidem. *Rot. dec. 379. num. 7. p. 7. recent.* Sed revera solutiones adductæ, vel sunt suppositititię, vel collusivæ cum hodierno Affictuario, partis adversæ subdito, quod convincitur evidentèr, quia Eminentissimus Abbas præsens prohibuit huiusmodi fictiones, & repulit partem adversam à tali petitione à tempore, quo fuit Massæ de anno 1691.

Ad id, quod non contribuant alii beneficiati Massen, dicitùr vix in tota Civitate reperiri beneficiatum; sed tantùm Cappellanos, quibus ad proportionem tenuium redditum, incumbit onus Missarum, in quibus non cadit, nec cadere potest taxa. Vlteriùs taxa ipsa nunqnam fuit soluta, nec habuit effectum, & partitæ solutionis sunt fictæ, ut ex fidibus juratis probatorum virorum, & procuratorum exhibitis; ex quibus constat, nec tempore Eminentissimi Cardinalis Pallotti, & Eminentissimi Rospigliosij, non solùm non fuisse solutam, sed neque petitam, nec unquam habuisse effectum, & partitæ productæ, quas datur intelligi, fuisse solutas per Affictuarium præsentem de Amalphi, ipsius Domini Archiepiscopi subditum; sunt collusivæ, & fictitiæ, ut etiam præsumitur, cum careant mandato Eminentissimi Domini Cardinalis Cantelmi Abbatis, à quo non solùm non fuerunt bonificatæ, sed expresè recepit mandatum, nè ulteriùs has cartularias solutiones, vel fictiones faceret; ex quo ad eas idem Eminentissimus Dominus non tenetur tanquam sine legitimo titulo prætensas, ut ex protestatione

an-

antedicta, in qua in nihilo subesse prædictam Abbatialem Domino Archiepiscopo declaravit; cui Synodus prædicta præjudicare nequivit.

Ad id quod dicitur, in alienatione quadam bonorum prædictæ Abbatialis, fuisse assertum esse Diœcesis Surrentinæ; quatenus hoc esset verum,& legitimè probaretur; patet responsio ex supradictis; & insuper confunditur tale dictum, quia,ut conceditur,Breve Apostolicum fuit directum de anno 1639. Vicario Generali, & Archidiacono Massæ; undè potiùs substantia,quàm enunciatio Brevis, esset attendenda,& assertam Abbatiam esse de Diœcesi MassæLubren,cum clausula, quod assensus annotetur, & registretur in actis Episcopalis Curiæ Lubren; Patet ex aliis Brevibus Apostolicis exhibitis,& executis,ut dictum est; neque hoc poterat præjudicare ordinariæ Iurisdictioni,& Iuris Assistentiæ Domini Episcopi Lubren,ac proindè error est censendus,vel enunciatio desumpta à denominatione primæva, ante dismembrationem jam dictam, vel affectatè procurata, ut fuit illa Brevis Eminentissimi Cardinalis Cantelmi.

Ad obiectum, quod Cappellani prædictæ Abbatiæ, licet Cives Massæ, quotannis intervenerunt ad præstandam obedientiam, etiam cum Mandatis. Respondetur,expressè negando assumptum; cum hoc nunquam acciderit; estque confictum à partibus, prout multa alia desuper recēsita,& repugnant facti evidentiæ;namDominusArchiepiscopus, ut est notorium, & patet ex protestatione prædicti Eminentissimi Cardinalis Cantelmi,si vocat ad obedientiam Abbatem Caprollæ,nemo comparet pro eo,nec procedit ad executionem pœnarum,pro hac non comparitione; sed vi assumi facit quemdam Clericum in Minoribus ex suis subditis,& indutum pluviali, mitra, & baculo pastorali,sibi ab eo obediētiam præstari facit,& si recusat,cōpellit,& hi actus nunquam possunt dici possessorii,sed simulati, moventes ad risum, & prohibiti. Et ex his actibus publicis,arguitur ad actus secretos,qui conficti,& supposititi præsumendi sunt; nec mirum;quia Dominus Archiepiscopus idem agere intendit cum Episcopis suffraganeis, licet indecenter,& illicitè; & tamen in eos non habet Iurisdictionem ordinariam: Et dato, & non concesso, quod Abbas præstitisset aliquando obedientiam Domino Archiepiscopo, quod negatur expressè; juxta fides juratas de hac veritate exhibi-

tas,

tas,factas ab iisdem procuratoribus,& ministris Eminentissimorum Abbatuum Pallottæ, & Rospigliosii, nec non Reverendæ Cameræ Apostolicæ,& Abbatis Petrochini,& juxta publicam famam,& vocem; nihil relevaret,tanquam res inter alios acta,quæ ordinariæ Iurisdictioni,& Iuris assistentiæ Domini Episcopi Massen,& S.C.T.non derogasset.

Ad obedientiam verò prædictos Abbates fuisse vocatos per Dominum Episcopum Massen , eamque præstitisse Dominum Abbatem Petrocchinum,& Throno assistisse, etiam porrigendo aquam ab ablutionem Manus, inter celebrationem Missæ sollemnis; patet ex processu transmisso. licet quando fuerunt Abbates Cardinales , hoc fuerit ex reverentia omissum, cum protestatione publica ibi vociferata, quod uti Cardinales non vocabantur expresse, sed generaliter,& quod ex hac omissione speciali nullum inferatur præjudicium.

Ad id,quod dicitur de Visitationibus; responsum satis est desuper,illas scilicet pro Domino Archiepiscopo non esse veras , sed simulatas, prout est actus obedientiæ,vel confictas,vel clandestinas,prout præsumerentur si essent veræ,& ad notitiam Domini Episcopi non deductas,& sine ejus scientia,& patientia non præjudicasse , *Rot. decis.* 22.*num.9.p.*16.*recent.& dec.*42.*num.9. post tambur*. Et ob earum notabilem interruptionem,sine edictis, sine decretis, & sine intentione,quæ intentio requirebatur,*Pignat.tom.*7.*consul.*15.*num.*13.quam ex duabus attestationibus Procuratorum,asserentium ipsos per plures Decades annorum,in quibus manserunt in dicto ministerio,nullum præstitisse Homagium Domino Adversario, nec illud requisivisse,nec nominari audivisse,minusque in dicto tempore visitasse dictas Ecclesias, vel alias visitatas audivisse, sed dictam Abbatiam, & Granciam semper fuisse subiectas Iurisdictioni DominiEpiscopi Lubren,ex quo ipsi occasione litium, & controversiarum, & bonorum dictæ Abbatiæ,& Granciæ semper recursum habuerunt ad dictum DominumEpiscopumLubren,uti ad Iudicem ordinarium, eumque uti talem recognoverunt in omnibus.

Et dato,& non concesso,& citra verè præjudicium, quod assertæ Visitationes partis adversæ extiterint (quod non fuit) attamen ei non competuet hic,& nunc remedium possessorium per viam manutentionis; cum etiam possessio esset omissa per lapsum decennii, *Rot. dec.*

dec.78.num.1.par.7.& dec.191. num.5.par.10.recent. quod tempus effluxerat ab asserta,& fictitia Visitatione anni 1674.

Nec urget responsio, quod ultima Visitatio fuerit ab Archiepiscopo facta de anno 1690;& sic non fuerit amissa possessio per lapsum decennii, & usurpativa; nam statim Episcopus Principalis reclamavit per affixionem edicti excommunicationis contra Canonicum Antoninum Thalamum Procuratorem fiscalem dictæ Curiæ Archiepiscopalis,Clericum Ianuarium de Simone,& Sanctolum de Apreda unum ex Magistris Actorum dictæ Curiæ, quos prætendit Archiepiscopus dictas Ecclesias visitasse, ut ex edicto,& examine quatuor testium super dicta asserta ,& simulata visitatione formitèr enaminat. Vnde dicta Visitatio, tanquam actus , qui dedit causam liti,pro nihilo est habenda. *Posth.de Manut.obser.17.num.44.& sequenti. Rot.post eundem dec.498.num.4.* licet supradicti non fuerint Visitatores,sed venatores,ut ex dictis testibus.

Pro Domino verò Episcopo Lubren jus esse adeò certum; ut si ipse nunquam visitasset,adhùc visitatio ipsa sua esset, ex *S.C.T. sess.7. cap.8.de Refor.*& non obstante quocunque privilegio,*Rot.Rom. apud Farinac.dec.396.num.3.p.1.Recent.Barb.de potest. Episcopi alleg.74. num.* 11. ordinarius enim habet intentionem fundatam exercendi Iurisdictionem,quoad Ecclesias intra fines suæ Diœcesis; *Rot. dec. 165.& 713.par.3.Seraph.dec.1278,Rot.in Recent.dec.416.Rot.Neap. Iurisconferendi coram Manzanedo dec.125,& Aprut. Iurisdic. coram Duzonetto 184,in Theat.Iurisdic.coram Vbaldo dec.* 197. & ei Episcopo ex sola Iuris assistentia , absque alia probatione, mandatum manutentionis non denegatur ,*Veral.dec.206.par.1.dec.201.par.2. Rot.diversf.dec.713.par.4.*

Nec inficit,quod in adventu,& excidio Turcharum de anno 1558.fuerunt amissæ scripturæ in Civitate Surrenti , & quod Excellentissimus Prorex Regni indulserit Domino Archiepiscopo , & Ecclesiis Surrenti,ut probata triennali solutione , sine scripturarum exhibitione,cogerent debitores ad solvendum; quia hoc indultu etiam gaudent Episcopi,& Ecclesiæ Lubren,& excidium prædictum fuit majoris considerationis in Civitate Massæ,quàm Surrenti; quia Civitas Massæ est aperta undique,nec habet muros,& consistit in parvulis Villis cum eorum prædiis,& ruribus, ac domibus ruralibus;&

co

eo tempore,quia non aderant Turres Maritimæ; Turcæ habuerunt expeditum accessum ad illam, & incessum per eam, & propterea ipsam funditùs devastarunt; sed Civitas Surrenti, quæ erat magis populata,habebat,prout habet mænia,& propugnacula,& tormenta muralia,quibus se tueri potuit,& præcipuè intra Mænia, et locis principalibus: Vndè deperditio scripturarum est præsumenda pro Episcopo Massen, non pro Domino Archiepiscopo, qui dum se jactat habere scripturas antiquiores ad dictum annum, se ipsum perimit in sua assertione,quod illas perdiderit.

Nec est ignotum, ei ansam dedisse ad litigandum eundem Affictuarium de Amalfi, qui,ut ejus gratiam aucuparetur; ipsi spopondit,se voliturum,facturumque quidquid vellet, in spectantibus ad Caprollam,et è contra Dominus Archiepiscopus,ut esset voti compos,ipsum,inquisitum priùs,deindè declaratum excommunicatum, et demum irregularem,de anno 1685,quando adhuc non erat Affictuarius Caprollæ,in sui gratiam recepit, et ab omni molestia exemit,ut est notorium; Cujus voluntatem, nisi pars captasset, utique non solùm non litigasset, sed neque de lite cogitasset; prout per duodecim annos ante, in quibus fuit Archiepiscopus, nec litigauit, nec de lite cogitavit. Hocque est præsentis causæ secretum. His addo, *Vghell. in sua Italia Sac. tom. 6. fol.* 795. Abbatiam de Caprolla in Civitate,et Diœcesi Massæ Lubren situare,

Vndè nequaquam potest Dominus Archiepiscopus ex suis friuolis, et simulatis prætextibus,sine titulo,et possessione molestare Dominū Episcopum,ejusque ordinariam Iurisdictionem turbare, et sibi usurpare; Eo fortiùs quia Dominus Episcopus habet Iuris assistentiam, et actuale exercitium Iurisdictionis. E contra Dominus Archiepiscopus Iuris resistentiam,et omnia Iura,Canones,Glosas,et decisiones adversus se. Quapropter eidem Domino Episcopo,repulso Adversario,venit concedendum mandatum de manutenendo,cum declaratione attentatorum de gestis fortè per Dominum Archiepiscopum, antè, vel post litem Motam,et condemnatione ipsius ad omnes expensas,ad quas impulit Ecclesiam Pauperrimam, et cum mandato de se abstinendo à molestiis,et turbationibus, aliisque,ut Iuris,etc.omn.etc.

Bonaventura Nepita V.I.D.